

Hasselquist scripsit Cairo d. 7 Septembris quamplurima quæ naturalem historiam concernunt; misit antea descriptionem avium nonnullarum, et historiam *Sepiæ octopodiæ* dictæ, quo modo insidiatur *Conchæ Pernæ* s. *Pinnæ* dictæ, nisi *Cancer Pinnotheres* ejus custos esset, et sic confirmavit historiam antiquam Aristotelis et Plinii. Misit historiam *Phœnicis* s. *Palma*, sed in ultimis varia habet alia egregia.

*Cycomorus** gaudet duplicis generis calycibus. Receptaculis aliis scilicet exsuccis, aliis succulentis et esculentis. Esculenti fructus sunt masculi, at vero hermaphroditi exsucco contrario modo ac cum Ficu, quod mirum.

Habet et *Cycomorus* proprium insectum s. *Tenex*, quod est species *Cynips*.

Descripsit *Teniam* Ægyptiorum eorumque *Opthalmiam* et *Scabiam*. Pulchra habet de *Gummi arabico* contra famem. Docuit *Sal ammoniaci* confectionem apud Ægyptios, negatque dari naturale tale.

Habet *Casuarium minimum griseum*.

Formicam minimam, corpore globoso, antennis longissimis, unam ex plagis Pharaonis, ut et *Cancrum cursorem Bellonii* descripsit; nec non varia novi generis insecta.

Lapides, plantas, Quadrupedia Ægypti annotavit. In his video *Cerastem* et *Jaculum* esse species anguis, nec *Colubri*, in *Ceraste Alpini* dentes caput egrediuntur. Duodecim nova genera *Piscium* habet.

Integram et perfectissimam descriptionem *Camelopardalis* et *Mimosæ* cujusdam *Actis* Upsaliensibus inseram una cum *Mure* ægyptio.

Mus hic refert *Leporem* capite, *Suem* rostro, *Murem* corpore, *Leonem* caudâ. *Pedibus* anticis nunquam terram attingit, sed semper salit *pedibus* posticis, quorum etiam *femora* nuda sunt. *Anterioribus* *pedibus* vero, solum aquam haurit dum potat. Inter *quadrupedia* maxime singulare animalculum.

Permanebit in Ægypto in proximum ver, tum vero *Palæstinam* petat.

Kalmius autem noster redibit ex *America* proximo vere. Ille detexit nobis stupendam medicinam, specificum scilicet *Indorum sylvestrium* contra *luem veneream*, quam extollit tanquam medicamentum nunquam incassum propinatum; ut eo ægri *semi-putridi* e *lue* intra 10 vel 16 dies perfecte curati, absque incommodo absque dolore; dum e contra quamplurimi *methodo* usitatâ *mercuriali* sæpe diem curantur *dolorifice*, pereunt sub curâ. At vero novum medicamentum curat absque *recidivâ*, absque dolore, absque difficultate, absque ullâ fere observatione in diætâ. Certe si *Helvetius* vester hanc medicinam detexisset, integros auri montes a rege vestro reportasset. Est hæc medicina radicis *Ceanothi americani* infusum, cui additur, si morbus sit nimis radicans, radix *Ranunculi fol. subrotundo virginici, flore parvo*. Herm. Lugdb. 514.†

* *Ficus sycomorus*, L. Sp.

† *Ranunculus abortivus*, L. Sp.